Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

summus. Primo didicit possidere, deinde possessa contempnere. Et quamvis simul idest in fine omnia libenter contempserit que transitorie possident, non tamen statim ex quo possedit dedit. Quare? Voluit deus illum plura possidere, et ad cumulum glorie sue plura relinquere. Cum enim ex donatione archiepiscopi Cantuarie et aliorum plures haberet reditus, que ei sufficere possent, quibus compendii causa supersedeam, crevit tamen facultas, ut cresceret et gloria. Verissima est domini sententia que ait: difficile esse divitem intrare in regnum celorum. Sed verbo impossibilitatis amaro temperamentum est sermo difficultatis. Quis enim umquam dives vel pauper sine difficultate regnum celorum introivit? Neque enim coronabitur nisi qui legitime certaverit. Regnum siquidem dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Ut ergo copiosa esset beati Thome rerum familiaris renuntiatio, crevit utique possessio.

Procedente enim archidyacono Cantuarie universo clero postulante, ipso quoque acclamante archiepiscopo Theobaldo acquiescente, immo preeligente, beatus Thomas quasi bonus qui bonis polleret moribus in archydiaconatum feliciter subrogatur. In quo summo opere studuit, sic et in priori conversatione, secretum suum omnibus latere, oculis vero summi dei placere, soli deo serviendum esse dicens, cum Moyse diligens et contestans sine intermissione testimonium proprie conscientie et non aliene, nulli umquam alii quam sibi plus credens, de se dicens cum Ysaia: secretum meum michi, secretum meum michi. Verum suum sibi ut tuum tibi ut omnium sibi. Unusquisque sibi vivit vel sibi moritur, iuxta illud: Gloriam meam alteri non dabo. Sed nec penam possum. Consulens ergo sibi beatus Thomas et se ipsum consulens in archydiaconatu suo soli deo et studuit manifestari. Sibi tamen displicere ut placeret deo, recolens illud apostoli: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Sine offensa conversans in se, sine querela ad proximos. Quippe primus perfectionis gradus est custodia sui, secundus misericordia proximi, tertius caritas dei. Primus innocentia, secundus benivolentia, tertius diligentia. Sed quia homo videt in facie, deus autem intuetur cor, qui solus novit corda hominum, intelligens iuxta psalmistam cogitationes de longe, et secundum aliud scrutans corda et renes, quomodo beatus Thomas in quantum potuit mundo latere disposuit, alius interius fuit, alius exterius apparuit. Non paries dealbatus, non phariseorum fermento corruptus, non sepulchris mortuorum assimilatus, non in agno lupus, non sub vulpe versutus, sed se suaque dissimulans esse maluit bonus quam videri, parvipendens dici malus, nam et dominus dictus est Samaritanus idest demonium habens. Videns autem dominus constantiam famuli sui probavit eum certius et gratiam donavit habundantius. Iam enim illum toti mundo exposuit, divitiis circumvallavit, deliciis temptavit, honoribus ampliavit. Et quid fecit? Non est combustus in igne, nec est submersus in amne. Qui eum per talia temptavit, faciens et iam cum temptatione proventum ut sustineret, ab omnibus inconcussum custodivit.

Iam enim affabilitate beati Thome et industria, liberalitate et curialitate cognita et comperta, ut qui esset hylaris in vultu, mitis in alloquio, humilis in obsequio, providus in consilio, discretus in iudicio, fidelis in commisso, ad palatium regis Heinrici videlicet secundi ipso rege postulante, archiepiscopo quoque invito presentante, ascitus est. Ibi denuo ad commendationem future glorie dico, seculo militare plus solito potuit, sed Christo maluit. Cancellarius quoque effectus, tabelle signifer, in tantam regi amicitiam coniunctus est, ut voluntatem regis in animo suo portaret, ore regis loqueretur, regni negotia ipse disponeret, promoveret quos vellet, deponeret quos vellet, quicquid iuberet fieret, quicquid prohiberet desineret. Et sicut virgo adhuc naturaliter ydonea ipsum rinocerotam constringeret loro suo et duceret quo vellet. Cuiusque propter invidiam magnam magnatorum contra se excitavit. In tanta autem potestate posito, tanta gloria et dignitate predito, pristina remansit humilitas, innata adhesit liberalitas et cognata liberalitas, semper comes castitas et consors caritas. Individue virtutes singule ei comites, lx videlicet fortes ex fortissimis Israel ambigentes lectum pacifici nostri, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Semper veritas in ore ipsius erat, semper falsitas aberat. Et si forsitan aliquando temptaretur carnalibus deliciis, sed non est abstractus nec illesus. Quasi enim secundus Samson omnium peccatorum vincula ex odore ignis idest spiritus sancti dissolvit, facto quoque impetu in hostes pessimos scilicet vicia persecutus est Amalech usque ad internitionem. Nec pepercit gladius aut utraque manu utens pro dextera. Cumque beatus Thomas tante esset potestatis, suspendit eum deus a cumulatu cuiuslibet mortifere actionis. Sed quia nemo sine peccato, nec etiam infans cuius vita est unius diei super terram, si quid in eo fuit purgandum, nichil tamen cremandum. Sicut enim cuius opus arserit detrimentum patietur. Si quid in eo examinandum nichil

154